

interrogantis non semper veritatem effutire teneatur, tamen in iudicio vero & legitimo, ubi aliàs quis veritatem confiteri obstrictus est, omninò verum dicere & confiteri tenemur. Quod autem aliàs veritas interdum celari & honestè reticeri possit, nec semper temerè effutiri debeat, testatur *B. Hornejus in Philos. Civ. l. 3. c. X, §. 5.* hisce verbis: in Ecclesiastico, a jens, dicitur; *Non omni homini cor tuum manifestes. c. 9. 22.* Tum autem id facere licet, quum quis non tenetur alteri ex mente ipsius respondere: ita enim primò dicere licet, quod verum est sensu unò, licet ille fortè de altero quærat & responsum accepturus sit: Ita Abraham *Gen. 12. 10.* de Sara Pharaoni & *Gen. 20. 2.* Abimelech respondit, eam sororem suam esse. Idem facit Isaacus *Gen. 26. 7.* Et tamen ex utraque quærebatur, utrum uxores essent: dixit uterque verum. Et Sara enim soror erat Abraham ex Patre, licet non ex matre, ut ipse postea dicit *Gen. 20. v. 12.* & Rebecca soror, id est, proxima agnata Isaaci; nam & hæ sorores Hebræo idiomate appellantur. At neuter ad propositum respondit, licet ita respondisse percunctantibus visi sint. Deinde cum ad unam interrogationem multiplex sit responsio, responderi potest unum & reticeri alterum. Sicut Samuel *1. Reg. 15. 6.* Cum Bethlehemum veniens interrogatus quare venisset, respondit, ad sacrificandum Deo, etsi præcipuè ad unguendum Davidem venerat: *Hæc B. Hornejus.*

§. XX. Hanc iterum excipit alia: *utrum interdum & in certo casu liceat veritatem reticere vel dissimulare.*  
Resp. Si veritatis confessio à nobis circa fidem exigatur publicè & à persona publica, Magistratu nempe, certum est, neminem salva conscientia posse hinc veritatem reticere aut Religionem suam dissimulare. Quòd si verò à  
priva-